



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa XV. Cælii Cardinalis Picolominei Senarum Archiepiscopi Laudatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

PROSA DECIMAQUINTA .

*Cæli Cardinalis Picolimini Senarum Archiepiscopi Laudatio. **



Uspicatò sanè Rhetorices artem adolescētes aggredimur, quibus ad primò dicendum, tu ipse argumentum ingens obversaris Princeps Eminentissime. Nostra dicendi facultas quippe quæ ipso nunc Rhetorum tyrociniò, ac primis rudimeniis imbuitur; sicca, & sterilis, & inelegans, & infans propemodum est: at eam appellare prudentem haud verear, quando ejusmodi sibi materiã assumit, de cujus uberrima dignitate ejus irrigari siccitas possit, & sæcundari sterilitas, & inornata exornari simplicitas, & quãtalibet infantia luculenter, copiosèq; profari. Principibus etiam viris, qui ex hoc orbe terrarum supra mortales reliquos ad propiorem quandam divinitatis imitationem assurgunt, illud aliqua tenus
con-

* *Dicta fuit à Senensi Adolescente, qui ex Classe Gram. fuerat nuper in Rhet. classè assumptus.*

convenit, quod ad eò existimatur divinum: linguas infantium disertas reddere: dat enim infantibus Deus, ut eloqui possint, dant optimates, quod eloqui. Orationis itaque generis nostræ non tam exornativum, quàm exornatum videtur esse dicendum: ornabitur quippe & theatro, & argumento suo: quandoquidem & te coram, & de te erit Cardinalis amplissimè.

Si ego Auditores, in præsentia laudarem cælestium rerum cupiditatem, humanarum contempionem, incorruptam iudicii regulam, omnibus paratam, obviamque clementiam, prudentiæ, ac sapientiæ vim solertissimam, pro divini honoris incremento, & populorum salute experrectissimas curas, quid aliud nisi Principis, Præsulisque nostri eximias dotes laudarem; cum is omni virtutum genere sic emineat, ut iam cuiusque virtutis laudes, suas fecerit? Quamobrem vel spectatissimo decorum suorum splendore modestiæ suæ honorificam lucem fugitanti consuluit; id enim est mirificè consecutus, ut qui ab eius temperare laudibus vix possunt, in ipsarum virtutum commen-

da-

livi-
red-
elo-
elo-
non
um
cip-
an-
erit
au-
m,
up-
ara-
en-
m,
po-
ras;
que
n is
ut
ce-
de-
sue
su-
us,
vix
en-

datione ipsum commendent, & ejus no-
men audito virtutum nomine intelliga-
tur, vel dum filetur. Nihilominus saltem nonnulla de te seorsum e-
narrare fert animus, Antistes sapientif-
sime: etenim mens narrantis nescio qua
diuturniori voluptate perfunditur, quã-
documque laudum tuarum specimina
tempore diuturniori & secum ipsa re-
cogitet, & aliis palam recenseat.

Principio animum in Galliam vo-
cant monumenta magnanimæ probi-
tatis, ac prudentiæ tuæ. Vivit adhuc,
æternùmque vivet imago tui, hoc est,
exactissima Ecclesiastici Principis nor-
ma mentibus Gallorum insculpta.
Prædicabitur Cælius per illius augu-
stissimi regni Provincias, donec testes
temporum litteræ; donec memorandæ
antiquitatis memores in consequenti-
bus posteris sensus, animique vigeant.
Id tibi rerum à te præclarè gestarum
fulgor, id tuus ille validissimus ardor,
strenuumque studium religionis, id
regiæ demùm litteræ pollicentur. Et
quamquam in iis Regionibus, quò te
Vaticani Senatus Parens Apostolici
Nuncii munere condecoratum mise-

H rat,

rat, difficilium temporum, rerumque momenta agitare tibi contigit, attamen tua tibi virtus vel eas inter difficultates haud difficulter omnium conciliavit, & observantiã, & benevolentia. Ut minùs venerationi esses qualis veneras, eras certè qui veneras: & si Nuncium non amabat Gallia, Cælium utique amabat: aut si (quod veriùs affirmem) venerabatur, & amabat utrumque; tum honos Cælio suus, tum suo Cælius honori columen extitit, ac præsidium.

Etiã apud Æmilianos latè Populos immortale, Auditores, Cælii nostri nomen circumsonat: In Æmilia namque insigne munus Pontificii Legati sustinuit more suo, hoc est probatissimi summis in rebus transigendis, ac prudentissimi viri, adeo ut vix ad laudem apparere dixerim præstâtissimum, quod gerebat, munus præ ipsa gerendi ratione; nec tam honores ipsum gerendos accipere, quàm efficere gerendo, judicaverim: sicut de Epamiõnda sũmo illo Thebanæ rei totius authore præscis annalibus perhibetur. Denique ut verbo dicam; quidquid curæ, vel admi-

ministratiōnis ei demandatum incubuit, quantumvis, involutum, nodosum, periculosum, totum ipse sapienter disposuit, opportunè explicavit, egit constanter, peregitque felicissimè.

Cur porro in Æmiliam, & Galliam peregrinanti cogitatione digredimur? Sena ipsa, nos ipsi Cives fortunatissimi, nos testes sumus, quàm sedulò, quàm sublimiter, quàm simul amanter; quàm humanè, quàm simul divinè sacri Antistitis officio fungatur Antistes noster. Nuperrimè vidimus, quod vehementem omnibus admirationem excivit; cum intra Urbem, atque extra, quocumque ejus longè, latèque pastoralis ditio protenditur, ductus paternæ charitatis instinctu omnia singulari diligentia perspexit, simulque prospexit omnibus, ut si quid fortè vel minimum vestigium ab Ecclesiasticæ formæ disciplinæ declinaret, statim efficaci, suavique institutione corrigeret. Vidimus, cum jam ad brumalem rigorem tempestate vergente hinc abscedens suam lustrare omnem Diœcesim, insuperabili alacritate consti-

tuit ; neque illum oræ maritimæ cæ-
 lum, neque itineris incommoditas, neque
 obstantis perpetim podagræ suæ dolor,
 & mora retardavit: nihil ipse per se non
 disquirere, nihil non cognoscere, &
 recognoscere est aggressus, ut partes
 vigilantissimi Pastoris, diligentissimi
 Excubitoris usquequaque adimpleret:
 ac si quid opus erat, monebat conti-
 nuò, jubebatque severitate prorsus
 amabili, ut subinde ad jussa facienda
 non metus reptaret, sed ultrò profili-
 ret, & properaret obsequium aman-
 tium, amor obsequentium populo-
 rum.

An verò hîc illud silentio transmit-
 tendum? cunctis, apud quos diverte-
 ret, denunciatum, præscriptumque
 voluit, ut ei frugalitate in primis, &
 parsimonia mensam instruerent; neve
 rustica, aut montana pauperies in tu-
 guriolum suum accersiret urbanam
 lautitiam. Nolebas benignissime Prin-
 ceps, Agrestium inopiam per impen-
 dia sua subtrahere molestias, atque
 ærumnas, delicias nempe tuas tibi; ut
 pote qui talia tunc tuo itinere merca-
 tum ibas negotiator sanè evangelicus:
 tunc

tunc tibi nimirum auctior eveniebat voluptas, cum incommoda tua nullum levamen ingratis tibi vicibus abrumpebat: defessum nihil te excipere jucundius poterat, quam labor. Hoc ipsum tibi in deliciis erat in suomet genuino squalore squalentem pauperiem invisere, quæ cum tibi per sui speciem nativam probaretur magis, sese velut abscondere quæsito epularum apparatu, & pompa, quod maximè ad tanti hospitis ingressum voluisset, prohibebatur.

Jam & illud, quod per Urbis nostræ compita frequens nobis conspicandum occurrit, quàm sanè mirandum est Auditores! quotiescumque aliquis æger decumbit, cui lethalis morbus mortem propiorem intentat, ad eum protinus amplo humanitatis, & largitatis suæ comitatu deductus Antistes noster ingreditur, eique paternam porrigens dexteram, atque etiam, ubi opus fuerit, copiosam stipem è cælo devocat celestia penitus dona, animi jam è corpore excessuri presentissima subsidia, & solatia. Nec à tanto deterrent ipsum officio aut lectuli sordes, aut lan-

guentium macies, aut pædor tabificus
 morientium: Cum primùm certior est
 factus, interdium, sub vesperam, per
 gravem nocturni cæli inclementiam ad
 ægrotantis limen advehitur; inde ad
 cubiculum repugnantibus quamquam
 podagræ impedimentis, seseque ad
 singulos gradus ulciscantibus acrimor-
 daci que dolore, per scalarum præ-
 ruptas arduitates adrepit. Ut sanè suum
 etiam Borromæum nostra & ætas, &
 Civitas intuetur! Sed certum hîc est
 nostros erga te sensus, animosque
 aperire Princeps amantissime,
 quando tibi tanta ingenita est lenitas,
 & facilitas, ut te nobis omnibus præ-
 beas, teque ad omnia pro omnibus no-
 bis demittas: quando tanta tibi solici-
 tudo nostri, tantus amor insedit, ut
 labores, & asperitates supra quàm fer-
 re natura possit, sustineas; si minus te,
 tibi utique vehementer timemus: parce
 igitur aliquantulum tibi, attempera,
 quæso, istam efficacis animi vim ad
 corporis imbecilli querelas; tua pro
 nobis tam satagens, tam laboriosa se-
 dulitas securam minùs facit quam no-
 bis securitatem largiris, bona enim
 per

per te volumus, sed te primùm, & maximè.

Verùm ab ejusmodi exostulationibus, quibus tui curam in te requirimus, ad tuas iterum laudes rerum ipsa laudabilium copia nos revocat. Spectastis Auditores quod recens in hac Urbe memorandum contigit de duobus, qui (temporis brevissimi spatio inter utrumque intercurrente) ad Evangelii lucem à veteris Synagoge tenebris emerferunt. Rarum sanè, ac difficillimum factu in pertinacissimis præsertim hominibus, quales Judaicæ stirpis plerumque novimus, quibus videlicet ad bonam mentem accipiendam nec magistra sufficit tam fæda, & probrosa, & diuturna calamitas. Hujusmodi tamen prodigium apud nos contingere æterni Numinis providentia voluit, ut omnibus innotesceret, quanta animi efficacitate, & benignitate oves illas in tartareum exitium ruentes, etsi non suas (pro quibus nihilominus & animam posuit æternus Pastor Christus) in suam Cælius Pastor custodiam, tutelamque reciperet, qui tam benignè, tam strenuè, tam in-

stanter oves tuetur suas. Et quidem innotuit jam omnibus: nos ipsi, nos omnes spectatores adfuimus, cum ille Hebræam primò puellam, mox, & puerum ad maximam templi sui aram sacro latice expiavit. Quàm pulchra tum, quàm aptè cohærens rerum omnium series, qualis ordo, qualis, & species, & dignitas, & quanta sacrorum majestas enituit! Divinius nescio quid sub ejusmodi tempus, atque ejusmodi in loco (te opus totum ritè, ac solemniter perficiente Cæli) divina illa spectacula præferebant. Mirabatur frequentissima Civitas, quæ rei miraculo provocata, ab ædibus effusa suis in templum confluerat universa; mirabatur tuam illam ad ea sacra diligenter tractanda tam alacrem, modestamque pietatem. Fama est, te eo temporis, ac rerum articulo inter tubarum tinnitus, inter accensos pulveris nitrati fragores, inter exultantis turbæ festivas acclamations in ipso templi vestibulo adhortatum puellam esse verbis illis religionis, sapientiæque plenissimis. Cognosce filia, & quoad potes, Divorum tibi plaudentium gaudia meditare,

re,

re, cum in hac humili valle dolorum, & lacrymarum ita tibi gratulemur gemebundi mortales. O dignam Antistite sacro sententiam, vehiculum omnino cæleste, quo vitalis divini Spiritus flamma in animos audientium illabitur. Ut semper, atque ubique inclyte Pastor ea in numero habes, quæ nempe de bono cordis tui thesauro divinitus locupletatus tempestivus magister depromas. Hæbræum puerum cælesti lavacro lustratum inter quamplurima etiam (quod munus pretiosissimum erat, & paternæ pignus charitatis) tuo nomine donavisti. Magnum ille quidem nomen antea gerebat, à supernis Intelligentiis desumptum, cum Angelus diceretur, quare si nomen pristino suo majus referre inter nos haud potuit, ausim tamen dicere; synonymum retulit, dum Cælius nominatur.

Jam nostra exitum querit oratio suam, quem, si de te illustria recensere singula velit, vix usquam valeat invenire. Opulentissima, & propè immensa laudum seges tuarum est; quid ni ergo, rem brevi totam ut colligam; quid ni sincerè profitear, inter apertissima ar-

gumenta sapientiæ, & æquitatis, quibus Septimus Alexander excelluit, illud jure, optimo annumerandum, quòd te numero purpuratorū Patrum adsciverit? Magnum enim verò utriusque vestrum ex eo decus est partum, & quòd Vaticanam ille purpuram Civivi suo meritissimo tribuit, & quòd meritissimus ipse à cive illam tuo accepisti: tua enim ad accipiendum, promerita illi in gloriam redundarunt; illius vero sapientia, & æquitas ad tribuendum redundavit in gloriam tibi. Quare non modò vetus illud, ac pervulgatum in rem præsentem facit, quod duorum olim Principum alter jactabatur dignus eligi, dignus alter eligere; sed in utroque vestrum hic est insuper honestamenti cumulus factus; quòd alterius dignitati accessit, alterum extitisse dignum eligi, & rursus dignitati accessit alterius, alterum extitisse dignum eligere.

PRO.